

midiam uitam. Itaq; alternis diebus eorum quenq; lucere.

Cancer.



23.

Ic dicitur Iunonis beneficio inter astra collocatus, quod cum Hercules contra hydram lerneam constitisset, ex palude pedem eius mordicus arripuisset, qua de re Herculem permotum eum interfecisse. Iunonem autem inter sidera constituisse, ut esset cū duodecim signis, quæ maxime solis cursu continentur. In eius deformationis parte sunt quadam qui asini appellatur, à Libero in testa cancri duabus stellis figurati. Liber em̄ à Iunone furore obiecto, dicitur mente captus fugisse per Thesprotiam, cogitans ad Iouis Dodonæi templum peruenire, unde peteret responsum, quo facilius ad pristinum statum mentis perueniret, sed cum uenisset ad quandam paludem magnam, quam transire non posset de quibusdam duobus asellis obuiis factis, dicitur unum deprendisse eorū, & ita esse uentum, ut omnino aquam non tetigerit. Itaq; cum uenisset ad templum Iouis Dodonæi, statim dicitur à furore liberatus, & asellis gratiam retulisse, & inter astra collocasse. Nonnulli etiam dixerunt asino illi, quo fuerat uestus uocem humanam dedisse. Itaq; postea cum Priapo deo naturæ contendisse, & uictum ab eo interfectum, quo Liberum eius miserum in sideribus annumerasse. Et ut sciret id pro deo non pro homine timido (quia Iunonem fugerit) fecisse, supra cancrū constituit, qui deæ beneficio fuerat affixus astris. Dicitur etiam alia historia de asellis, ut ait Eratosthenes quo tempore Iupiter bello gygantibus indicto, ad eos oppugnandos omnes deos conuocauit, uenisse Liberum Patrem, Vulcanū, Satyros, Sylenos, asellis uestos, qui cum non longe ab ostibus abessent dicuntur aselli pertimuisse, & ita pro se quisq; magnum clamorem & inauditum gygantibus fecisse, ut omnes hostes eorum clamore in fugam se conuerterent, & ita sint superati. Huius similis est historia de buccina Tritonis. Nam hic quoq; fertur, cū concham inuentam excauisset secum ad gygantes tulisse, et ibi sonitum quendam inauditum per concham misisse. Hostes autem ueritos ne quæ esset immanis fera ab aduersariis adducta, cuius esset ille mugitus, fugæ se mandasse, & ita uictos in hostium potestatem peruenisse.

Leo.

24.

Ic dicitur à Ioue constitutus, quod omnium ferarum princeps esse existimatur. Nonnulli etiā hoc amplius dicunt, quod Herculis prima fuerit hæc certatio, et quod eum inermis interfecit. De eo & Pisandrus & complures alii scripserunt, cuius similitudinem chrū proximū est uirgini. Sed aliæ .vii. stellæ ad caudā leonis in triangulo collocatae, quas crines Beronices esse Conon Samius mathematicus et Callimachus dicit. Cū Ptolemæus Beronicen Ptolemæi et Arsinoes filiam sororem suā duxisset uxorem, et paucis post diebus Asiam oppugnatū profectus esset, uouisse Beronicen; si uictor Ptolemæus redisset se detonsuram crinem, quo uoto damnatum crinem in Veneris Arsinoes & Cononitidis posuisse templo, eumq; postero die non comparuisse, quod factum cum rex ager ferret, Conon mathematicus (ut diximus) cupiens inire gratiam regis dixit crinem inter sidera uideri collocatum, & quasdam uacuas à figura septem stellas ostēdit, quas esse crinem fingeret. Hanc Beronicen nonnulli cum Callimacho dixerunt equos alere et ad Olympia mittere consuetam. Alii dicunt hoc amplius Ptolemæum Beronicis patrem, multitudine hostiū perterritū fuga salutē petisse, filiā autē sæpe consuetā insiluisse in equum et reliquā exercitus copiam constituisse, & complures hostium interfecisse reliquos in fugam coniecisse, pro quo etiam Callimachus eam magnanimam dixit. Eratosthenes autem dicit et uirginibus Lesbiis dotē q̄ cuiq; relicta à pariete nemo solueret, iussisse reddi et inter eos constituisse petitionē.

Virgo.

25.

Hanc Hesiodus Iouis & Tetidis filiam dicit. Aratus autem Ascre & Auroræ filiam existimat, quod eodē tempore fuerit, cū aurea secula hominū et eorū principem habuisse demonstrat, propter diligentiam et æquitatē, iusticiā appellatā, neq; illo tempore ab hominibus exteris nationes bello laceffitas esse, neq; nauigio quenq; usum esse sed

agna

Quidā Zephyritidis legunt. ego malī Chrysitidis. Nam & Plin. templum Arsinoes aureū uolatū dicit lib. 37. ca. 8. De crine autem Beronices apud eundem est. libro. 2. cap. 70.